



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Quæ ad miniculentur ad cordis puritatem. Can. XV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

cant, aut abs te non requiruntur: item à curis & sollicitudinibus, ab amore sensuali ac distractiuo circa homines & quascunq; creaturas, à nimia familiaritate aut conuersatione nimium sociali, ab animi occupatione circa quascunq; res inutilium superflua: & (vt in summa dicam) ab omnibus quæ nimium distrahunt, illaqueant, aut formis similitudinibusq; animum depingunt, potissimè in quibus neq; in honor, neque mei cultus, neque meum beneplacitum, neque animarum salus inuaditur aut quæritur.

*Aequalitas
mentis qui
seruanda.*

Consultissimum est igitur eo semper niti, vt inter tristitia & læta, inter prospera & aduersa animum semper habeas pacatissimum, liberum, nulli creaturæ inhabilem, nullis desiderijs noxijs fatigatum, sed per omnia tranquillum, quo imaginationes rerumq; formas ac similitudines aut omnino non recipias, aut illicò relessoris, ante eijcias, quàm sibi in memoria tua vendicent locum. Sitq; tibi mecum inuoluntaria conuersatio, casta ac simplex, sabbatumq; sanctum, quo super nulla creatura, sed in me solo requiescas.

Quæ adminiculantur ad cordis puritatem.

CANON XV.

AD cordis puritatem adminiculantur iuuantq; humiliatio castigatioq; carnis, quo corpus subdatur spiritui. Idè quantum corpus sustinere potest, delectabilia sensibus subtrahantur, habendi ac delectandi desideria mortificentur, & frequententur vigilie, afflictio corporis, ieiunia: diligatur à te tui contemptus, assumatur altissima paupertas, sola necessaria admittens, quo inter iuges vitiorum mortificationes & ex impossibilitate virium tuarum humiliata, oratione terro & gratia mea confortata, aliquando ad cordis puritatem peruenias, dum insurgentes motus continud reprimis, dum desiderijs prauis non solum assensum negas, verùm etiam reniteris, impugnas, persequeris, videlicet te humiliando, atque oppositas virtutes cogendo. Dum enim frustra tentant se vitia erigere, sapienter repulsa, non audiuntur, in seipsis deficiunt, & quæ ante nimium sua improbitate molestant, tandem aut omnino non surgunt, aut velut muscæ volantes paruo negotio abiguntur.

*Vitia quæ
nam facile
vincantur.*

*Discretio in
vfu creatu-
rarum quæ
seruanda.*

*Nature quæ
nam interd-
dicenda sint
quæ quæ nō*

Seruanda est tamen nihilominus discretio circa vsum creaturarum, vt prudenter adueras naturæ tuæ necessitatem. Ita enim profligenda est voluptas, vt fons da sit etiam naturæ infirmitas, & iuuanda necessitas. Quam non debes ex alijs, quorum naturalibus consuetudinibus, gratijsq; ac donis valde dispar esse potes, sed ex te ipsa metiri, pensando labores, infirmitates, tentationes, assuefactiones, aliaq; onera & grauamina tua: aut etiam ediuersò consolationes, subsidia, remissionesq; circa officium, statum & personam tuam occurrentia, vt superflua quæque ac solum oblectantia tibi subtrahas, necessaria verò etiam ingeras. Sunt enim qui nihil faciunt ad conseruationem sanitatis, nec iuuant, sed magis lædunt naturam, expetuntur tamen delectationis causa: hæc sibi interdicare perutile ac religiosum est. Porro quæ sunt necessaria, quorum vsum sine dilectione esse non potest, vt est serè omnibus cibis, potusq; ac somnus, ita vtaris illis, vt delectationem ipsam non quæras, sed intendas, sed tui sustentationem, quæ est in tali vfu. Inde fiet vt omnibus vtilibus ac necessarijs, dum non hæres nec quiescis in ipsa delectatione (quæ subleuare non potest, propterea quod comitatur necessitatem) sed contendis etiam interie-

rem hominem ab ipsa delectationis impuritate suspendere, prorsus liberum seruare, videlicet hunc auertendo vt oblectamenti imaginationem nō recipiat, aut quasi alibi occupatus non aduertat, aut illis (si aduerterit) à memoria abigat.

Hoc modo ego benignissimus creator vester, qui nihil vobis inuideo, nullo creaturarum vfu offendor: quandoquidem non in creatura, tametsi naturalis non possit non sentiri delectatio, sed in me creatore vestro, quiescit. Distant enim intervallo longissimo, re quæ delectat, hoc est, cuius sentitur delectatio, propter necessitatem vti; & propter delectationem vti. Obseruanda est etiam maximè, custodia humilitatis: ne quicquam tuis viribus præsumas, nihil tuo labori, aut industriae, aut vigilantiaæ ascribas: nihil voluntati quamlibet bonæ tribuas: sed totum gratiaæ meæ. Quocirca nisi docta cognoueris cunctis viribus sudoribus atq; conatibus tuis diffidere, nisi senseris ne vnum quidem vitium posse te extirpare: & ne minimum quid virtutis ex te posse adipisci sine gratia mea & auxilio singulari, frustra expendis omnes conatus tuos.

Viribus conatibusque suis vt homo diffidat.

Quod ratione debemus regi ac præueniri.

CANON XVI.

EX his liquet omnibus, quomodo actus, sermones, cogitationes, affectus, motus, intentiones ac simul omnia quæ in te versantur, quæ te ingrediuntur aut egrediuntur, debes vigilanter perspicere, obseruare, examinare, frenare; ac regere, vt omnia singulaq; ratio præueniat dirigatq;, non ipsa sensualitas. Vbicumque enim te præuenierit sensualitas, vbi cumque, vt semper dominari gestit) cœperit iubere, gubernare, necesse est multa confestim sequi & mala & incommoda. Quamobrem ratione (vt dixi) debes vigilare, ratione debes tibi ipsi imperare, vt velis vbi volendum, nolis vbi est nolendum. Ratione debes quoscunque motus tuos insurgentes vitiosos reprimere. Ratione debes naturalia tua regere, sensusq; tuos frenare, ne sine disciplina praua libertate corrumpantur. Ratione denique debes linguæ tuæ vim inferre, atque à verbis, quæ non ædificant proximum, aut quæ non ad meam gloriam proferuntur, te cohibere. Memor esto, quod dixerim, de omni verbo ocioso rationem reddendam: & desine nugari, desine iocari, desine fabulas referre atque rumores, desine aliis cachinnos excitare, desine & te in cachinnos soluere, aut in risum multum ac immodestum effundere. Vbi ratio aut necessitas dictauerit, loquendum est: verum id parce & modestis verbis, quantum attinet ad necessitatem: idq; benigne, leniter, humiliter, atque cum dulcedine quadã cordis & serenitate vulsus, abscindens diu loquendi aut in sermone euagandi occasionem. Cum nemine litem moueas aut rixam, cum nemine disputes aut contendas.

Ratione quinam omnia mouenda.

Matt 12. Linguam frenari oportet.

Loquendi modus qui nam seruandus.

Rom 12.

Correptiones qui exhibendæ snt.

Cum quæ veritatis sunt dixeris, in aliorum sit optione credere, recipere aut respicere. Tuum non sit propugnare, præsertim vbi nihil (si non creditur) est periculi. Sine vt homines quæcumque velint sentiant, maximè de te. Tu mecum pacem habere, & quantum in te fuerit, cum omnibus hominibus. Cura vt nulli sis scandalo, nulli turbationis efficiaris occasio. Si ex officio vel conscientia alium cogaris docere aut corrigere, id facito non cum iracundia, non cum supercilio, non animo turbato, sed in animi tranquillitate, prudenter aduertendo temporis & loci opportunitatē, atque alias conditiones in te & in illo, vt tunc quando maximè speratur ei eruditi.

Nnn 2 ruditi